

XVIII/1108(9)

PHILIPPI V.

HISPANIARUM ET INDIARUM REGIS
Potentissimi.

EPITAFION.

Ardua quam cernis cælum affectare, Viator;
Sacra Deo moles nomine BORBONIO,
Qualem Roma suis, aut Græcia culta, doloris
Illecebram, extinctis condiderat Ducibus,
Non superimpositum cælo illatura PHILIPPUM.
Siderei tentat frangere clathra poli:
Una VIRUM pietas jam pridem plurima mundo
Ereptum Hospitiis intulit æthereis;
Nec cineres tegit urna, nec exitiale ferêtrum
Claudit odoriferis ossa cremanda rogis:
Ista etenim æternæ demùm reddenda quieti,
Huic sunt interea credita sarcophago.
Ergo age, nil vereare atrum, candentia plenis
Affer ovans calathis lilia, sparge rosas,
Verbenasque adole pingues, & mascula thura,
Pro lacrymis verò funde preces, & abi.

Eadem Hebraicis quoque numeris expressa in
Tumulo legebantur, quæ tamen hic ob ejus
Linguæ characterum inopiam
omissa sunt.

Dextera Dei exaltavit me. Psalm. 117.

PHILIPPI V. HISPANIARUM REGIS:

APOTHEOSIS.

Regia, DANTE DEO, proles ego, sanguis avitus
Fumosis latè splendet imaginibus. In:

Infanti ludus mihi scepra fuere, coronæ,
Laurus, & invictâ parta trophæa manu.
Aurêâ opacabam vix dum lanugine malas,
Mollis ephebus adhuc, par tamen imperio;
Cum gemini certatim Orbes, Diademata mille
In caput appropierant agglomerata meum.
Gallica pugnarunt Hispanis LILIA CASTRIS,
Utra meis titulis adjicienda forent.
Donec in Hesperiam concessi. Huc me ipsa vocarunt
DEXTRA DEI, Hesperidum juraque, vota, fides.
Hesperidum incorrupta fides, cui sæcula prisca
Vix usquam similem, vix habuere parem.
Hesperides meus ignis, ego sua cura vicissim,
Rex ego, at hi columen dulce fuere meum.
Aurea perfecta est ætas, Furor hosticus illam
Excepit, belli terrificusque fragor.
Austriadæ cum frustra abscissis Orbe Britannis,
Et penè mersus aquis, crine rubens Batavus
Me obruere aggestis conjurant undique telis,
Injicere & pelago lignea fræna parant.
Addunt præterea insidias, astutique, dolosque,
Quæque vel iratus Mars capere arma vetat.
Infernas Erebi furias, Stygiamque paludem,
Gorgones, Harpyiasque ad fera bella cient.
Nec mora, concurrunt acies, infestaque signis
Signa, cruentatis horrida cuspidibus.
Fit fragor, horrifono Cælum clamore remugit,
Dum vibrat accensos pestis athena globos.
Nulla vacat belli facies, seges hinc jaculorum,
Inde explosa cavo missilis ære pila.
Mille patent aditus Letho, labat ater Averni
Portitor, & medijs cymba fatiscit aquis.
Me intereà medium tenuere pericla, sed una
DEXTRA DEI ex orci faucibus eripuit,

Jac-

Jactatumque falso furialibus abstulit undis;
Et dulci incolumem reddidit Hesperia.
Quin & multiplici redimitum tempora lauro;
Et Regum spoliis, exuviisque gravem.
Denique me regno stabilit, cui plurimus orbis
Paret ad Eoas, Occiduasque plagas.
Successit pax alma diu, Saturnia regna
Dixeris ad nostros usque reducta dies.
Janua fatalis, belli pacisque quietæ
Indicium, longo tempore clausa fuit.
Regia par scepro proles adoleverat, aulæ
Docta artes, dextrâ, consilioque potens;
Cum satis Hesperia vixisse, supremaque vitæ
Emerito censens tempora danda mihi,
Imperium, geminique Orbis moderamen in unum;
Delicias Populi, transfero Lodoicum.
Rex meus inde fui, curaque solutus edaci
Continui intra animum Regia jura meum.
Jam mihi tum æthereas arces, loca celsa videbar
Incolere, & luci proxima inoccidua;
Sæpe etiam volucris deceptus imagine, dulces
Prælibasse dapes, præmia calicolum.
Sed vanas hominum spes! vix argentea Phoebe
Ter quater implerat cornua, cum rapuit
(Diffuerem lacrymis cælum si moeror adiret,
Aut nisi Te mecum, Lodoice, aspicerem)
Persephone, aut potius Divina Scientia, falli
Nescia, Lodoicum transtulit ad superos.
Singula quæ sparsim metit effera mors bona, in uno
Messuit erepto Te, Lodoice, simul:
Uno etenim plures immitis perculit ictu,
Cor Patris, Hesperidum spes, bona, delicias.
Hoc me quæ ad sceptrum prius exaltaverat, & quæ
Concussum Regno reddiderat stabili,

DEX-

DEXTRA DEI tetigit, rursusque ad sceptra vocatūm
Admonuit, Superos flectere posse nihil.
Decessor meus indè (novum!) & Successor, habenis
Incasum renuens destinor imperii.
Rex iterum Hesperiae longo clamore salutor,
Conveniunt Patrium jus, Populique preces;
Scilicet, ut querulo fieret medicina dolori
Hoc pridem in votis Hesperidum fuerat.
Inde quasi è Cælo delapsum me Orbis adorat,
Quà Hispanus pugnax, quà niger Indus arat
Nec mirum siquidem (procul est procul æthere mor-
Invidiæ rabies) consului Patriæ, (dax
Justitiam impensè colui, nec non genialis
Inviolata dedi jura sacratá thori.
Ingenuæ viguère artes, me sospite, & altrix
Disciplina diu, præmia multa tulit.
Pax tranquilla stetit, domitrix prudentia fati;
Et Pudor, & Pietas, Religioque comes.
Donec in ætheri translatus culmen Olympi,
Hesperides, regno nunc potiore fuor.
Fulgor innocidus rutilat mea tempora circum;
Hesperides, hoc me nunc diadema beat.
Hesperides, meus ignis, amor, mea cura futuri;
Plaudite, nunc vester regnat Apollo polo.

ACCINUIT

FRANG. PEREZIUS BAYERIUS

Presb. *Valentinus Salm. Heb.*

Ling. Professor.